

abditō pectoris angulo delitescentes. Destinatum  
tibi spatiū est, qvo cum DEO loqvaris, qvo morta-  
litatē tuam, ac singulas vitæ vicissitudines, ejusdem  
benignitati commendes. Talia vero dum facis, ad  
genuinum solatii fontem progressus, cur in decretis  
adeo paternis acqviescas, dubitare nequās. Ita qvi  
moralem philosophiam sibi fatentur difficultem, chri-  
stianæ philosophiæ remediis multo facilioribus acqvi-  
escēt.

Audeo sollicitare conscientiam tuam. Interest  
multorum ut benè valeas, ut oneri semel recepto cer-  
vicem supponas, ut publicè profis. Cur itaq; dolo-  
rum occurrant imagines, qvæ Fratrem non restituent,  
sed eidem te citius adjungent. Ipse te qvidem expe-  
ctat: interim qvi nos amare non desinit, tanto cime-  
lio nos orbatos esse non cupit.

Qvamobrem ut solitam recipias fortitudinem, ac  
otium aliquando concessum libris ac studiis deberi  
credas, animo prorsus amico precor. Doloris aliqua  
parte defunctam fuisse Zittaviam quoq; nostram, e li-  
teris nostris intellexisti. Levior itaq; fuerit moles, qvæ  
tot succollantium humeris simul fuerit excepta. Tum  
vero precabamur, vellet Deus talentū tibi concessum,  
in hac vicissitudine fatorum, nobis reddere perpetuum.  
Vel si nunc amici scribentis affectum, more tuo, id est,  
liberaliter intueri dignaris, ut Meyerum & Fratris &  
tuo nomine complecti, geminamq; meam felicitatem  
hoc ipso confirmare velis, rogo. Sit Salus tua nostra  
salus: Seligmanniā langvinis propagatio, Patriæ  
prosperitas: tuisq; solatiis nostra simul profligetur  
adversitas. Uno verbo, ut patriam, ut tuos, ut

amicum aspicere tandem possis, te serva-  
re nunc studeas. Vale. Scrib. Zittavia,

d. 29. Jan. MDCCVIII.